

eis maximum incessit conflictum; in cuius belli principio comes Tripolitanus a suis secedens, locum, quem defendendum acceperat, Saracenis concessit. Sane per maximum diei spacium commisso acerimo bello, et infinitis utriusque cadentibus, quod sine lacrymis vix dicere quimus, capta est a Saracenis crux Domini, captus est rex Guido et Guilielmus [A] marchio de Monte Ferrato, et fere ceteri de p[re]belio, aut ibi cecidere, aut arctissimis traditi sunt custodiis. Tunc nominatus comes, alter actibus Iudas, cum multis Saracenis arma Christianorum habentibus Ierusalem festinanter perrexit [a], quasi defensurus civitatem. Qui a civibus grataanter in civitatem receptus, [b] clericos et laicos, senes cum junioribus, viros cum mulieribus [c] capitaliter [d] jugulari p[re]cepit. Simile quoque scelus [e] in civitate Acri operari nequaquam [f] erubuit. Audiens uxor ejus tantam virum suum exercuisse tyrannidem, quod / spreta Christianitate, cuidam filiae Saladini nubere tenebatur [g], tempore congruo, quasi secunda Judith, vitam ejus extinxit, et dignam vicem [h] viro pro meritis reddens, civitatem Tripolim, confidens in Domino, ab inimicis defendere minime dubitavit. Saladinus vero totum regnum Hierosolymitanum, praeter Tyrum et Tripolim, tyranlice tunc [i] devastavit.

Quando Conradus de Monteferrato patrem suum,

europ[er] idemque regnante. H[oc] idemque obsecsum in civitate Tyri, liberavit.
 In diebus illis (82), cum esset in Graecia Conradus [j] de Monteferrato, filius domini Guillielmi marchionis, cognito tan[ti] casus tant[de]que m[od]estissime dolore, cum paucis Italics quos secum habebat, Tyrum properavit, et accepto dominio, civibus quasi jam desperantibus, a Saladino qui eam obsidebat civitatem defendit, cum quo multa committens p[re]elia [k], dominum Guillielmum patrem suum proprium [l] et multos alios recuperavit ex laqueis captivos (83). *C. Lact.*

[a] festinanter perrexit. Sic lego. In C. V., festinantes perrexerunt. — [b] in civitatem receptus. Sic lego. In civitate receptus, C. M.; in civitatem recipientibus, C. V. — [c] viros cum mulieribus, Codd., non, ut aliis videtur: viris et mulieribus. — [d] capitaliter. Sic legit Cl. Mitt.; captos, habet C. V. — [e] simile quoque scelus. Sic C. M. legit Cl. Mitt.; simile nequaquam scelus, C. V. — [f] operari nequaquam, Cl. Mitt.; patrare nunquam, C. V. — [g] nubere tenebatur. Sic Codd.; sed Cl. Mitt. corrigendum putat: nubere tentabat. — [h] et dignam vicem, C. M.; et digne vicem, C. V. — [i] tyrannice tunc, C. M.; tyrannde tunc, C. V. — [j] in Graecia Conradus. Sic lego. Codices habent, Coradus. — [k] p[re]elia, C. V.; bella p[re]elia, C. M. — [l] patrem suum proprium. Sic lego, et sic habet C. V. At Cl. Mitt. legit patrem suum, scilicet proprium.

[A] Is fuit Guillielmus senior, pater illius Guillielmi, de quo alibi jam dictum. Profectus enim erat in Terram Sanctam, tum venerandi causa Sepulchrum Christi, tum nepotis curam assumendi.